



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R.P. Richardi Lyncei ... Vniversa Philosophia Scholastica

Complectens Dialecticam, siue Scientiam de Veritate, in decem libros
distributam

Lynch, Richard

Lvgdvni, 1654

Tractatvs III. De vniuersalitate formali, & virtuali.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95210](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95210)

processus in infinitum personarum in Trinitate summa, & ineffabili minimè sequitur, quia duplicis processionis diuinæ termini, videlicet Verbum, & spiritus sunt infiniti, adeoque vterque totam fecunditatem Dei ad intra exhaurit, vt late in materia de Trinitate explicari consuevit: at hac infinitate creaturæ carent.

37 Verumenimurò satis probabile est, ens à se esse vniuersale ex parte rei de facto, vt aiunt, si in duplici statu mox explicando consideretur: quare non video, cur auctores superioris sententiæ ad defendendum vniuersale ex parte rei ad ignotam illam, & commentitiam naturam confugerint. Etenim *ens à se* absolutum, & præcisum à relationibus est vnum realiter, & prout contractum identice ad relationes, seu prout relatiuum est realiter multiplex, cum tres relationes diuinæ tria entia à se relatiua sint vt docet P. Suarez de Trinit. l. 3. cap. 6. At hæc vnitas, & multiplicitas realis entis à se in duplici illo statu est ad vniuersale sufficiens: igitur ens à se in duplici illo statu consideratum ex parte rei vniuersale erit. Maior argumenti iam probata est. Minor suadetur, quia alioqui homo vniuersalis per intellectum non esset, cum tantum sit vnus. & multiplex in duplici statu; vnus nimirum prout absolutus, seu præcisus à singularitatibus, & multiplex prout ab iis contractus. Confirmatur: si cum vnitate Dei Deorum multiplicitas cohereret, omnes Deum vniuersalem ex parte rei faterentur, cum nemo non ex opposito fundamento vniuersalitatem Dei impugnet: at ens à se ex parte rei est vnum ens absolutum, & plura entia relatiua: igitur ens à se est ex parte rei vniuersale, si non in vno solo, sed in duplici statu consideretur.



TRACTATVS III. De Vniuersalitate formali, & virtuali.

CAPVT I.

An ex unitate, siue identitate, & distinctione formali, aut ex natura rei sequatur vniuersale à parte rei?

1 N statuenda vnitate formali, & non tantum distinctione eiusdem ordinis consentiunt Scotistæ omnes, præsertim Lichetus in 2. dist. 3. q. 1. Trombetta q. 38. met. Rada tom. 2. controuers. 3. art. 1. Antonius Andreas l. 7. met. quæst. 17. Ioan. Monlorius disp. vniuersal. c. 5. & 6. At cuiusmodi sit talis vnitas formalis, & quo pacto ex ea, & coniuncta cum ea distinctione formali sequatur vniuersale à parte rei, haud ita concordant.

2 Aliqui, naturam humanam v. g. eatenus esse formalem vnum, & vniuersalem à parte rei censent quia est omnino eadem in suis inferioribus, & nullo modo multiplex: sic, vt quamuis sint plures homines, hoc tam en in singularitatum magis, quam naturæ humanæ pluralitatem referendum sit. Verum hic modus vnitatis formalis in loco à nobis satis reiicietur. Eo verò disputandi gratia permisso,

quantum mea opinio est, sequitur vniuersale à parte rei; quippè, quia homo, vt sic, est vnus, & est multiplex: & sequitur etiam per locum intrinsecum, haud dari posse vniuersale à parte rei: cum enim natura humana sit omnino eadem, & nullatenus multiplicata, quæ fieri potest, vt sint plures homines, sicut ad hominis vniuersalitatem oportet?

3 Secundo alij Scotistarum tuentur, vniuersale à parte rei, quia natura humana v. g. quatenus omnes comprehendit, re ipsa est vna formaliter, & ex natura rei, ac rursus eadem est multiplex numericè, & veluti materialiter beneficio singularitatum, per quas contrahitur. Sed cum vnitas illa formalis humanitatum omnium, quæ per indiuidua speciei humanæ sunt longè lateque dispersæ, prorsus repugnet, vt demonstrabitur in in metaph. lib. 2. tract. 3. cap. 6. sanè, & quod ex ea infertur vniuersale à parte rei, reiiciendum est: haud enim ex antecedenti omnino falso existit absolute consequens verum. Enim vero permixta discurandi gratia id genus vnitate, & distinctione formali, siue ex natura rei, sequi vniuersale à parte rei arbitror cum P. Suarez & non paucis aliis nostrorum. Dices tamen primò cum Hurtado, Arriaga, & Conimbricensibus, qui tuentur oppositum: natura diuina non est vniuersalis, & tamen ita est vna, vt simul habeat secum identiticas personalitates realiter distinctas: quanquam ergo natura humana admittatur vna formaliter in omnibus hominibus, & habeat in eis singularitates realiter distinctas, haud propterea euadet vniuersalis à parte rei. Sed ratio discriminis est in promptu: namque natura diuina, siue essentia Dei absoluta haud fit multiplex per personalitates, quippe quarum officium est, non multiplicare, sed suppositare, vt aiunt: cæterum natura humana plurificatur per singularitates: harum enim partes sunt, non solum se ipsas numericè distinguere, ac multiplicare sed naturæ, cui realiter identificantur, eandem impertire multiplicitem, siue quod perinde est, illam denominare numero multiplicem, haud secus, atque effectus formalis candoris est reddere subiectum album: quanquam ergo natura diuina non sit vniuersalis à parte rei, quid inde ad humanam, aliamve creati ordinis?

4 Dices secundo: collectio humanitatum, prout est vna humanitas, sin minus numericè, at saltem ex natura rei, & formaliter, haud est re ipsa in Petro v. g. & Paulo, & cæteris indiuiduis speciei humanæ diuise sumptis, sed in quouis est iua, & non alterius. Atqui ad vniuersale, non tantum requiritur vnitas, & multitudo, sed etiam communitas, merito cuius ratio vniuersalis, & vna sit tota in quouis inferiori seorsim sumpto: quo pacto homo v. g. per intellectum factus vniuersalis prædicatur instar totius potestatiui de Petro. v. g. nec non de Paulo, &c. Quanquam ergò in Scotistarum sententia natura humana sit vna, & multiplex beneficio vnitatis formalis, id satis non erit ad eius vniuersalitatem: perperam ergo hanc à parte rei tuentur inueniri. Respondeo collectionem illam humanitatum omnium esse tamen à parte rei in quouis indiuiduo speciei humanæ diuise; sigillatimque sumpto; esse, inquam, non determinatè, & copulativè usurpatam, sed disiunctim, & indeterminatè: nam à parte rei Petrus est hic, vel ille homo, & Paulus similiter: & sic in reliquis: quamuis autem indeterminatio mera repugnet à parte rei, ac sit in solo intellectu, at indeterminatio coniuncta cum aliqua determinatione à parte rei inuenitur, vt sæpissimè dictum huius decursu operis. Atque nisi munere cuiusdam

cuiusdam indeterminationis homo per intellectum factus vniuersalis totus de quolibet prædicatur indiuiduo: indetermination igitur aliqua à parte rei sufficit ad modum existendi vnus in multis diuisione sumptis vniuersalis proprium.

Tertio aliqui Scotistæ tuentur, vniuersale à parte rei, quia humanitas, v. g. formalis est vna in omnibus hominibus, & tamen humanitas numeralis est in eis multiplex. Principium vnde deducitur huiusmodi vniuersale à parte rei falsum est, & insufficiens ad explicandam vnitatem formalem eiusque ab vnitatem numerali seu reali distinctionem constabit in Metaphysica: at eo admissio sequelam esse bonam arbitror: sicut enim ens à se est vniuersale à parte rei iuxta doctrinam traditam tractatu 2. huius libri cap. vltimo, quia prout absolutum est vnum, & prout relatiuum re vera multiplex; ita etiam non video, cur humanitas non fiet vniuersalis à parte rei, quia ita est vna, prout formalis, & multiplex, prout numeralis: Nec verò opus est hic sicuti superius, indeterminatione vlla formali, quam scio non paucos à parte rei negaturos: seorsim enim ab illa tota humanitas formalis est in Petro, tota in Paulo, & in cæteris: haud ergo vnitatis, haud multiplicitas, haud modus existendi vnus in omnibus, & singulis inferioribus proprius vniuersalitatis obest, quominus hæc possit humanitati vt nuper à Scotistis explicatæ convenire.

Quarto eorum alij ex vnitatem, & distinctione formali inferunt vniuersale à parte rei, quod non tam sit collectio omnium humanitatum, v. g. quæ vna humanitas ex natura rei, ac formaliter sit; sed, quod sit natura solius Petri v. g. quæ in pluribus indiuiduis in sensu diuiso esse, & aliter, ac aliter contrahi potuit. Cæterum natura Petri proprie, ac positiue vniuersalis esse nequit, vt hi Scotistæ contendunt, cum natura Petri essentialiter immultiplicabilis sit, ac necessariò vna, esto per hanc, aut illam singularitatem indifferenter esse possit vna, & alterutri, quod hæc numero sit, acceptum referre: atque alioqui certè natura diuina vniuersalis erit, quando, non solum in sensu diuiso, verum etiam in sensu composito reperitur per identitatem in tribus personis. Natura ergo Petri ad summum negatiue, & improprie admissa distinctione, & vnitatem formali vniuersalis est, vt perspicue docet ipse Scotus in 2. distinct. 2. quæst. 1. inquit; *illud quidem commune non est ita commune, vt sit prædicabile de multis, licet sit ita commune, quod non repugnet sciri esse in alio, quam in eo, in quo est.*

Tandem P. Fonseca §. metaph. cap. 28. quæst. 3. sect. 2. ex distinctione ex natura rei graduum inæqualium colligit vniuersale à parte rei, ac naturam humanam, v. g. in triplici statu considerat: primus est, in quo naturæ ordine anteuertit singularitates, per quas contrahitur; nec mirandum, si distinctionem naturæ ordo etiam naturæ comitetur: pro illo ergo priori natura humana est vna à parte rei, non vnitatem formali, quam in indiuiduis multiplicari, iisque communicari censet, sed vnitatem præcisionis, quam in solo præcisionis, & anteceSSIONis statu natura habet, indiuiduisque nunquam actu communicare potest: eam etiam numeralem vocat, non numeralem indiuidualem, sed numeralem communem, quia sicut ex indiuiduis, ita ex naturis communibus constat numerus, & sicut Petrus, & Paulus sunt duo numero homines, ita humanitas, & equinitas sunt duæ numero species: mixtam etiam ex numerali, & formali eam appellat, eo quod immultiplicabilitas illius eam quodammodo

numeralem reddat, & aliudè, quod sit vnitatis natura communis, quæ veluti forma, & essentia indiuiduorum est, eam quodammodo formalem efficiat: conditionalem etiam eam nuncupat, & esse censet, vt inferius constabit. In hoc ergo statu natura humana iuxta eum vniuersalis est propterea, quod in eo vna sit, & multiplicabilis, ac ad plura indifferens. Secundus est, in quo per singularitates natura humana contrahitur, & numericè multiplicatur: quo in statu non est vniuersalis, eo quod in illo vna non sit, sed potius numericè, & etiam formaliter multiplex. Tertius est in esse obiectiuo, quo videlicet natura humana à singularitatibus præcisa per intellectum consideratur, & in hoc statu iuxta eum est etiam vniuersalis.

Hanc sententiam iure merito ferè omnes deserunt. Atque in primis distinctione ex natura rei graduum toties labefactata innititur. Deinde falsò, & inconsequenter vnitatem illam præcisionis ex formali, & numerali mixtam, & inter vtramque mediam adstruit: namque vnitatis, seu identitatis, indistinctio, seu indiuisio sit, non plura genera vnitatum, siue identitatum, quam distinctionum admitti debent: at ipse triplicem solum distinctionem admittit, videlicet realem, rationis, & ex natura rei in humanitate v. g. siue eius formalitates inter se, siue cum alia natura humana comparentur: falsò igitur, ac parum consequenter præter identitatem, siue vnitatem realem, rationis & formalem, aliam quartam, & mixtam hic nobis obtrudit. Rursus sicut humanitas, & equinitas duæ numero species, ita exercitus Catholicus, & Francicus sunt duo numero exercitus: & tamen exercitus, hoc non obstante, neutiquam habet aliam vnitatem ab vnitatem partium distinctam: ergo nec humanitas habet aliam vnitatem numericam communem distinctam ab vnitatem numerica, & formali inferiorum, vt hic author asserit.

Præterea lib. i. & cap. supra citatis quæst. 4. sect. 2. ad medium vnitatem illam vniuersalem naturæ communis, siue, quod perinde ferè est, eius indifferenteriam, & aptitudinem ad inferiora adstruit esse modum quendam potentialem à natura separabilem realiter, & actu separatam, quoties ea ad sua contrahitur inferiora. In quo nouis impugnationibus scaturiginem exhibet: Nam in primis eum modum in aliquo instanti temporis, aut æternitatis haberet natura; aliàs per eum in potentia indifferenti minimè futura: deinde in nullo instanti temporis, aut æternitatis eum haberet, cum nunquam non sit contracta, & in quouis momento temporis, siue æternitatis Socrates sit hic homo, vt ipse q. 3. sect. 4. disertè fatetur: Secundò infiniti modi possent, ac deberent multiplicari in natura v. g. humana: namque cum ea contrahitur ad singularitatem A, modus illam solum respiciens amittitur, cum interim in potentia ad alias singularitates remaneat, sicut materia contracta, per vnā formam substantialem, & physicam, adhuc est in potentia ad alias: modus igitur, quo est in potentia ad singularitatem A, distinguitur ab eo, quo ad aliam quamuis sponte sua indifferens est, siquidem separabiles sunt: at eo ipso, quod speciale modum habeat respectu singularitatis A, non est, quapropter intuitu cuiusvis alterius peculiarem non habeat modum: quandoquidem, igitur natura humana contracta ad singularitatem A simpliciter est indifferens, & in potentia ad infinitas alias singularitates, certè in ea infiniti reperientur modi: quo nihil absurdius. Vide quæ aduersus huiusmodi modos naturam

naturarum vniuersalium, & sententiam Fonseca, quatenus eos adstruit peracutè, & doctè disputant Conimbricenses 1. p. log. in præfat. Porphyrij q. 3. art. 2.

At inquires, quænam est aptitudo illa, quam habet quodpiam vniuersale, vt sit in multis: Respondeo nil aliud esse, quam ipsum vniuersale prout per suam essentiam, siue hæc ei conueniat ex parte rei, siue per intellectum est non repugnans esse in pluribus: Aut aliis verbis, est negatio repugnantie realiter indistincta à natura communi, & ipsis inferioribus, ad quæ est indifferens. Ita B. Thom. opusc. 56. Scotus lib. 1. met. q. 6. & lib. 7. q. 18. & in 2. dist. 3. q. 1. Caiet. de ente, & essentia cap. 4. q. 6. Conimbricenses loco superius citato, vbi citant hanc esse communem authorum sententiam: suadet autem, quia præter illam non repugnantiam explicatam, quoduis aliud superfluit: Deinde nequit ea aptitudo esse modus, vt nuper probatum, haud etiam potest esse qualitas aliqua superaddita, vt enim optime disputat P. Fonseca vbi supra in prædicam. substantiæ, quantitatis, ac relationis, vbiacationis, & cæteris, quatenus distinctis à prædicamento qualitatis, visuntur genera, & species: horum ergo vniuersalium aptitudo & indifferentia nequaquam consistit in qualitate distincta, ac rebus denuò superueniente: ea ergo est negatio superius exposita.

Tandem, vt aliis impugnationibus, quæ videri possunt apud Patres Suarez, Hurtadum, & Arriagam in præfati, superledeam; Author hic supra sect. 4. unitatem præcisionis merè conditionatum ait esse, & nec dari vnquam absolute in rerum natura, nec dari etiam posse, sed tantum dandam esse sub conditione quadam: videlicet si per impossibile ab indiuiduis realiter auelleretur. Ex quo sic argumentor: unitas merè conditionalis, & quæ sub conditione omnino impossibili daretur, ad vniuersale iuxta aduersarium sufficiens est: ergo etiam multiplicitas conditionalis, & quæ sub conditione merè impossibili daretur, ad vniuersale sufficit: vnde Deus verè vniuersalis erit: siquidem ita vnus est, vt sub conditione merè impossibili multiplex fiet: si enim imperfectus esset, multiplex esset: consequens autem est omni, vt sic dicam, falsitate falsius.

C A P V T I I.

An ex unitate, siue identitate, ac distinctione virtuali intrinseca sequatur vniuersale à parte rei?

Caietanus de ent. & essent. cap. 4. defendit, dari à parte rei vniuersale quoddam negatiuum: eod, quod natura Petri v. g. de se non repugnet contrahi per quamuis aliam singularitatem, esto sic contrahi non sit positiuè apta. Porro ad hanc non repugnantiam, quam à positiuæ aptitudine Scotistarum distinctam vult, distinctionem virtuales intrinsecam postulasse videtur.

Audiendus tamen non est primò, quoniam repugnantia cum singularitate Pauli oritur in natura Petri ab eius identitate cum suamet singularitate, quæ Petreitas vocari consuevit, & carentia superioris repugnantie à carentia identitatis iam iam memorata: sed eiusmodi identitatem, & carentiam non habet natura Petri de se, siue pro priori: ergo nec carentiam repugnantie, siue non repugnantiam

negatiuam, sed potius, tum ab ea, tum etiam à repugnantia opposita pro anteriori rationis signo præcindit. Secundò, quia negatio negationis est affirmatio, & positio: ergo non repugnantia, siue non ineptitudo est positiuæ aptitudo: malè ergo dicit, dari pro priori non repugnantiam, siue negationem repugnantie, & tum non dari reuera positiuam aptitudinem: quocirca, vel inuitus recidit in sententiam Scotistarum.

Tertio, quia singularitas Pauli, aut non repugnat naturam Petri contrahere, & sic positiuæ aptitudo in hac ad illam est admittenda, cum nunquam mutua non repugnantia duum extremorum ad inuicem absque eorum positiuæ aliqua aptitudine reperitur: aut repugnat ea singularitas, vel Petri, vel alterius suppositi contrahere naturam, vt Caietanus voluisse videtur; & ita natura Petri non habet de se non repugnantiam ad talem contractionem, quippe quæ est impossibilis fieri: Cur enim natura Petri de se, ac sponte sua habere censenda est magis carentiam repugnantie, quam repugnantiam, cum ea contractione, quæ ratione suæ impossibilitatis potius repugnantiam, quam eius carentiam terminare deberet, si alterutram terminaret. Quarto tandem natura Petri iuxta hunc sentiendi modum non potest propriè esse in multis, etiam diuisuè, sed tantum secundum quid, & non repugnanter: nequit ergo esse vniuersalis.


Alij aliter secundò Caietanum explicant de positiuæ aptitudine, non absolute, sed conditionata, quia natura Petri de se cum singularitate Pauli, & quauis alia identificari posset, si per impossibile singularitates illæ possent eam contrahere. Verum nec ita explicata huius sententia authoris placet. Namque ea aptitudo conditionata, si fortè ad vniuersale sufficit, Deus etiam erit vniuersalis, cum sub aliqua hypothesi, & conditione impossibili queat multiplicari, & vnus esse in pluribus, vt supra aduersus Fonseca in simili arguebamus. Rursus vniuersale est vnum in multis absolute & simpliciter, vt fatentur omnes: at aptitudo illa conditionata tantum efficere potest vnum in multis conditionatè. Contrà hunc etiam, necnon etiam superiorem Caietanicæ opinionis explicandæ modum facit, vniuersale debere esse vnum in multis, non diuisuè tantum, verum etiam collectiue, cæterum natura Petri iuxta Caietanum quocunque modo intellectum duntaxat esse potest in pluribus indiuiduis diuisuè, hoc est in eorum quouis in sensu diuiso alterius, siue, si non reperitur in alio.

Quidam etiam neoterici ex distinctione virtuali ita censent, seque vniuersali à parte rei: si enim, inquirunt collectio, & cumulus omnium humanitatum à singularibus virtualiter præcisus consideretur sanè unitatem quandam præcisiuam, seu negatiuam habet, cum in eo præcisionis statu multiplex non sit propter id quod præcindit tunc à singularitatibus, ex quibus omnis distinctio & multiplicitas oboritur, aliunde vero ea natura per singularitates est multiplex: nihil ergo ei deest ad vniuersalitatem quæ in unitate multiplici, siue multiplicitate quodammodo unita consistit. Confirmatur, & declaratur: quoniam unitas per intellectum vniuersalis constitutiuæ non est positiuæ, sed merè præcisiuæ, quæ videlicet natura humana à multiplicitate abstrahitur: aut hæc unitas præcisiuæ admittit distinctionem virtuali, reperitur à parte rei, & quidem cum multiplicitate coniuncta: ergo &c.

Verum ad vniuersale non sufficere unitatem præcisiuam, siue negatiuam, sed reperiri positiuam, hoc

hoc est cuius fundamentum sit aliquis positius actus intellectus, plura vt radicaliter vna, ac similia respiciens, & ab eis vnitatem hauriens formalem, & proximam, quam postea in illa reiciat, ostensum est supra tract. i. huius libri cap. 2. ad finem vtque latius ostendendum infra, cum egerimus de vniuersali per intellectum, & modo, ac ratione, qua per hunc construitur: Ruit ergo contrariæ doctrinæ fundamentum, ac basis, cui potissimè innititur.

18 Rursus eius assertores, quod aiunt, ad homines impugno. Ipsi siquidem omnem indeterminationem, ac disunctionem à parte rei reiciunt, nullamque non ab intellectu proficisci existimant. Quo supposito, sic argumentor; vniuersale debet esse in pluribus diuisiue, nec sufficit, si in pluribus inferioribus collectiue sumptis reperiatur, aliàs aqua erit vniuersale respectu suarum partium actualium, cum per veram identitatem sit in eis collectiue sumptis, vt nemo potest inficiari: sed cumulus ille humanitatum, nec est; nec esse potest iuxta aduersarios in Petro, & Paulo diuisiue sumptis, hoc est in eorum quolibet seorsim, & independentem ab alio non enim indeterminate, & disunctiue usurpatus, cum ipsi disunctionem, & indeterminationem quamuis à parte rei refutent, eique statui prorsus contrariam censent; non etiam determinatè, & copulatiue acceptus; qui enim fieri potest, vt ea ratione indiuiduum aliquod hominis totam naturam humanam à parte rei complectatur, cum ea sit essentialiter per plura dispersa: Cumulus igitur ille à parte rei non est vniuersalis. Alia est eius ratio, prout est obiectum intellectus: nam quatenus tale in singulis indiuiduis reperibile est, & de singulis prædicabile, quod à natura intellectus nostri proficiscitur, qui collectionem illam formaliter, aut æquiualemter disiungere, & indeterminare valet, si cut oportet vt ea possit tota de singulis indiuiduis prædicari, eisque inesse.



TRACTATUS IV.

De aliis speciebus vniuersalitatis
physicæ, & à parte rei.

CAPVT I.

De vniuersalitate denominatiua.

1 **H**oc est ea, quæ visitur: vbi forma aliqua denominans est in pluribus subiectis vna: Porro, vt eam exponam, & defendam, in primis est notandum, posse Deum vnam eandemque albedinem in pluribus subiectis collocare. Ita Caietanus 3. p. q. 3. art. 6. & Conimbricenses tom. 1. log. q. 8. art. 4. vbi etiam aiunt, neminem id inficiari: & quidem merito; haud enim est in eo maior repugnantia, quam in hoc, quod Deus absoluat albedinem ab omni subiecto, quod posse euenire, constat ex Eucharistiæ mysterio. Notandum est secundò, tum futura plura alba, vt latè à nobis probatum est supra lib. 3. huius operis tract. 3. cap. 6.

2 Quibus positis, sic argumentor: Vna, eademque albedo in multis albis v. g. tribus per veram

identitatem reperiri potest, nimirum, si Deus per miraculum eam in tribus constituat subiectis; ea ergo albedo à parte rei vniuersalis esse potest. Quod enim per inadæquatam tantum identitatem in tribus albis reperiretur, non obstat: nam etiam animal in communi tantum inadæquatè cum homine, & equo identificatur, & tamen eorum intuitu est vniuersale. Rursus quod non essent tunc tres albedines, sicuti foret vna, haud magis obest: nam essent tres albedines in concreto, cum albedo in concreto sit album, ac tunc darentur tria alba: aliundè verò esset tunc vna albedo in abstracto: hoc autem ad ad vniuersalitatem albedinis eo in euentu sufficeret, alioqui homo v. g. non erit vniuersale per intellectum, siquidem tantum est vnus in abstracto, seu prout abstractus à singularitatibus, multiplex vero solum in concreto, siue prout singularitates concernit. Demum, quod albedo non posset tunc prædicari de pluribus albis, falsumque dictu foret, aliquod album trium esse albedinem, non obstat: etenim albedo per modum vnus cum subiecto de pluribus albis prædicari posset, hoc pacto, hoc album est album, & illud, illudque album est album, quod ad vniuersalitatem albedinis sufficeret, eo in euentu: Tum, quia particula, *omnis*, est syntagorema vniuersale, cum tamen se solo prædicari, aut subiici non possit, sed solum in consortio alterius, quod saltem subintelligatur: tum etiam, quia aliàs species non erit vniuersale, cum numquam prædicari possit absque eo, quod simul cum illa genus, taltem implicitè, prædicetur.

3 Ceterum id genus vniuersale, quod modò explicatum est, negant Balthasar Tellez 1. p. summæ philosophicæ disp. 5. in logicam sect. 3. & Conimbricenses q. illa 8. in præfationem Porphyrij art. 4. paulò suprà citatis, vbi etiam allegant Scotum in 1. dist. 1. q. 2. a. 2. & Bargium super eundem Scoti locum. Pro quibus opponens primò, ex nostra sententia sequi, vniuersale à parte rei, non tantum de possibili, vt aiunt, & in alia, eaque miraculosa rerum serie, sed de facto, ac citra miraculum. Sequela probatur: namque, si posita diuinitus vna numero albedine in multis subiectis, ea, aut, si mauis, album esset vniuersale, quidni etiam modò, actio cognitio, vnio, forma, sint vniuersales à parte rei, & ante omnem considerationem intellectus; quandoquidem earum quæuis vna existens, nihilominus plures tribuit denominationes pluribus subiectis, vt cum per eandem actionem, aut plures causas dicuntur agentes, vel plures effectus producti; aut per eandem cognitionem plura obiecta cognita; aut per vnionem vnam, & eandem plura extrema vnita; aut denique per eandem formam v. g. animam rationalem omnia corporis membra informata, & animata. Consequens autem est absurdum: namque vniuersale haud dari à parte rei, saltem in hac rerum serie, tuentur Aristoteles lib. 1. de anima textu 8. *Vniuersale inquit nihil est, aut posterius est*, subaudi actibus intellectus: Auerroës lib. 12. metaph. comment. 27. *Vniuersalia, aïens, non habent esse extra animam*: Auicenna lib. 5. metaph. his verbis, *equinitas secundum se, (id est à parte rei) tantum est equinitas, non vna vel plures*: quod, si non vna, eo in statu, certè, nec vniuersalis: B. Thomas opusculo de ente, & essentia cap. 4. & 1. p. q. 8. a. 1. & 7. metaph. lect. 1. 3. eiusque sectatores omnes, præsertim verò Caiet. citato loco de ente, & essentia, Capreolus in 3. dist. 5. q. 3. art. 3. Sotus q. 2. vniuersalium, Soncinas 7. metaph. q. 40. Egidius in 1. q. 2. prologi, & dist. 12. p. 4. item extra sculam B. Thomæ, Durandus